



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quae sit pura Dei adoratio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452



Adorare Deum, est ipsum intus in corde agnoscere, & credere creatorē & saluatorem suū, & foris publicè verbo, factō, quē colere & honorare. Sic 1. Reg. 1. dicitur, quòd Helcana pater Samuelis ascendebat de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret & sacrificaret Domino in Silo. Ita nos in domibus nostris, templis & vbiq; locorum quoties adoramus, inuocamus Deum, genua flectimus, manus leuamus, capita nudamus, ibi adoramus & confitemur Dño, quoniã ipse solus Dominus & Deus noster est. Sic Io. 4. dixit mulier: Patres nostri in monte hoc adorauerunt, id est, corde intus, & foris solenni cultu, id est, seruitio Deum honorarunt & confessi sunt. Sic venit Eunuchus ille Hierosolymis, adorato Deo, pfectuò, adoraturus Deum, Acto. 8. Quoties ergo Deum esse nostrum agnoscimus ac laudamus, toties ipsum adoramus, eius auxilium & gratiam postulantes. Verum adorare in scriptura sæpè capitur pro reuerentia, quæ gestu corporis exhibetur, vt geniculatio, deosculatio, detectio capitis, &c. sicuti Regibus & magistratibus facimus ac potentibus. Sic accipitur 1. Reg. 20. de Dauid qui cum Ionatha cadens pronus in terram, adorauit tertio, & 1. Reg. 9. Miphiboseth corruit in faciem suam, & adorauit Dauid. Marcus princeps Synagogę prodefuncta filia Christum venire in domum suam. Sed adoratio propriè est, Deum agnoscere, in eum credere, & cultum ei foris exhibere. Sic adorarunt tres Magi, Matt. 2. & cæcus sanatus Ioan. 9. Ad eum modū nullus sanctorum vel angelorum adoratur. Hic cultus soli Deo proprius est: scilicet credere nostrū creatorem & saluatorem, & solam super omnia exigīt fiduciã, dilectionē & timorem. Nulli enim creature tantū fidere debemus, nec aliquē sic diligere & timere, sicut Deū quod solus super omnes creaturas exigīt hunc cultū fidei.

Dilectio.

Dilectionis & timoris. Sic etiam verè & rectè adoratur hisce motibus cordis Fide, & dilectione, & timore perfecto: sine his virtutibus interioribus nihil foris proderit externus cultus ceremoniarum & operum. Hic in Spiritu cōsistit vera adoratio, vt Ioan. 4. veri adoratores in Spiritu adorant, cuius externus cultus signum & contestatio est.

Deus vult in sola sua persona vel natura adorari & coli, & non in creatura scilicet vt simul cum illo creatura adoretur & honoretur: patet hoc Exod. 20. vbi Deus p̄cepit Moyse, dicens: Hęc dices filijs Israël, Nō facietis Deos argenteos vobis, neq; aureos, &c. quasi diceret, Nolo habere honorem & adorationē meam cum creaturis commixtum: ideò peccauerunt grauitur filij Israël Exod. 32. in fabricatione vituli aurei, quòd huic vitulo tribuerunt simul honorem & adorationem Dei. Sine dubio filij Israël sic erant edocti à Moyse per varios & multos sermones, quòd benè sciebant hunc vitulum aureū non fore Deum, quem erexerant: & quanuis vitulum non reputarūt Deum fore, attamen in hac creatura & forma vituli voluerunt Deum colere & adorare, qui eduxerat eos de Aegypto: ideò magna plaga secuta est in populo. Ne igitur fieret deceptio vel ex simplicitate vulgi, qui creaturam simul cum creatore adoraret, aut ex delusione Sathanæ, qui vbique conatur honorem & veram adorationē Dei extinguere, atque ad creaturas adorandas homines instigare, sicut facit in gentibus, qui adorant imagines habētes fictitias aures & ora &c. sicut propheta dicit Psal. 113 & 134. Aures habent, & nō audient &c. Et Demones sunt qui coluntur in illis, vbi simul idolum & Dēmon adoratur. Ne igitur talis delusio aut deceptio occasio foret nobis peccati, p̄cepit Deus strictissimè Deut. 4. & Leuit. 26. ne sculptam similitudinem aut imaginem masculi & femine, aut iumentorum vel auium haberemus, nec